



2b. 15



90.  
102

EXERCITATIONUM  
ETHICARUM  
OCTAVA  
DE  
MAGNANIMITATE  
&  
MODESTIA.

QUAM  
Divino aspirante Numine  
SUB PRESIDIO

M. JOHANNIS MAJI  
CASSELLANI HASSI,  
In Illustri Academiâ Viadrinâ

pro virili  
*tueri conabitur*

HIERONYMUS MICHAEL

Regismontanus Neomarch.

*Ad diem 18. Septembris*

Anno

CIO IO CXXII.

Typis

MICHAELIS KOCHII.

Optimis studiorum & studiosorum

Mæcenatibus,

VIRIS

Autoritate & Consilio Clarissimo

DN. GODOFREDO MITIONI,

J. U. D. & Reipubl. Francofurtanæ in Marchiâ

Syndico dignissimo,

*Nec non*

Amplissimis, prudentiæ, integritatis, & virtutis

laude, rerumq; agendarum felicitate

spectatissimis,

DN. { DAVIDI REINHARDO,  
HIERONYMO MULLERO,  
SIMONI AMMONIO,  
JOHANNI MULPHORT,

Illis Francofurtanis Consulibus, quâ gravissimis, quâ mericissimis.

Isti Senatori & Negotiatori ibidem

solertissimo.

Huic Senatori apud Regismontanos Neo-Marchiæ laudatissimo.

Omnibus & singulis Favitoribus, Affinibus, Patronis ac Promotoribus suis æternùm colendis

Hoc *ἑπιμαρτυρία* morale

*In debite gratitudinis & obser-*

*vantia symbolum*

devotâ manu

hilari mente

offert

RESPONDENS.

Ἐ Π Ἰ Μ Ε Τ Ρ Α .

- I. An Magnitudo animi propriè dicta sit species Fortitudinis? N.
- II. An desiderium honoris in bonis ponendum sit? A.
- III. An honorum, ut & bonorum, qualem urgebant *Anabaptista*, æqualitas sit introducenda? N.
- IV. Utrum vitæ, an famæ major habenda ratio? D.
- V. An approbandum illud *Epicuri* effatum: *λάτρε βιώσεως*; quod sic expressit *Ovidius* in *Tristibus*:  
*Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit: Et intra  
Fortunam debet quisq; manere suam?* D.
- VI. Cùm honor sit, ut definit *Aristoteles* 4. *Nic.* 3. 8. *cor.* 14.  
Et 2. *Polit.* 9. τῆς δόξης καὶ εὐεργεσίας ἀθλον: qui fiat,  
ut minus ferè quis, quàm in patria, floreat?  
Causas exponit *Cl. Goclenius* *Quest. Ethic. XIV.*  
*pag. 257.*



- I. An Maximilianus animi proprio dicitur in specie Formis
- II. An delectationis honoris in bonis ponendum sit
- III. An honorum, ut de bonorum, qualem uidebantur
- IV. An virtus, an tantum maior habenda ratio
- V. An virtus, an tantum maior habenda ratio
- VI. An virtus, an tantum maior habenda ratio



EXERCITATIO VIII.  
De  
MAGNANIMITATE  
&  
MODESTIA.

Respondente  
HIERONYMO MICHAELE  
Regismontano NeoMarchico.

PROOEMIUM.

I.

**P**raeclara est & digna sapientia antistite (quo eum deco-  
rat eulogio Plinius N. H. l. 7. cap. 30.) Platone senten-  
tia, quam ille quinto suo de Legibus Dialogo sub ini-  
tium, pag. 605. A. de Honore loquens impressit: ψυχῆς  
ἐν ἀνθρώπῳ κτῆμα σὸν ἔστιν εὐφύερον, εἰς τὸ Φυγεῖν μὲν τὸ κακόν,  
ἰχνυῖσαι δὲ καὶ ἐλεῖν τὸ πάντων ἄριστον: καὶ ἐλόντα αὐτὸν κοινῆ ζυωικεῖν  
τὸν ὀπίλοιπον βίον: Homini profectò nihil animo aptius &  
sagacius (honore) ad fugiendum malum, ad vestigandum  
eligendumq; , quod est omnium optimum, eique per o-  
mnem vitam firmiter adhærendum.

II. Qua ipsa mihi significasse videtur, quam re communis  
hominum societas, & status cujusq; peculiaris conservari rectè  
possint: Si nempe pœnâ mali coërceantur à Republica, boni verò  
honorum præmiis invitentur: ut olim rogatus dicebat Theo-  
phrastus apud Stob. serm. 41.

III. Nam reverâ honor & dedecus sunt potio, qua cives red-  
dit adversus hostes audaces, contra vitia timidos: quemadmo-  
dum iterùm Plato sub fin. 1. de LL. pag. 574. Honor est im-  
S perii

perii benè administrati signum clarissimum, quod civitates optimis studiis implet, civesq; ad honesta studia & convenientem dignitatem promovet: ex mente Jamblichi, citante Stobæo serm. 157. Gloria est mater annorum; ob id opinor, quòd, cum exiguum vitæ curriculum nobis natura circumscripserit, honestam memoriã in multa secula propagetur: de effato Bionis apud Laërt. lib. 4. cap. 7.

IV. Unde qui virtutem honore suo fraudarent, eos M. Cato dicebat, ipsam virtutem è medio tollere: quando honos alat artes, omnesq; incendantur ad studia gloria: secundum Ciceronem.

V. Verùm hæc omnia cum sint periculosa, & honores non raro levitatem inducere animis videantur, ut se jam tales esse putent homines, quales prædicantur: ne vel proclives ad lapsum honorum cedros temerè scandamus; vel indignos nos dotibus divinis nimio torpore turpissimè reddamus: duo tutissima Prudentia paravit remedia, quæ voluptatibus ex honore ortum incrementumq; habentibus aureum illud Palladis frenum injiciant: **MAGNANIMITATEM** nimirum & **MODESTIAM**: quarum illa non tam nomine magna, quàm re ipsa talis est; cujus ope humana, quæ reliquarum virtutum beneficio rectè componimus, despiciamus: & cujus munere, ut vilia, pedibus conculcamus fortune bona, quæ vulgus hominum tantoperè admiratur & colit: Hæc virtus saluberrima, **DEO** gratissima, quæ nihil magis idoneum homini, nihil tam congruum Christiano: secundum Bernhard. serm. in Nativ. B. Mariæ pag. 209. C. quæ mentes nostras impotentitemeritatis incursum transversas ferri non patitur: Quo evenit, ut reprehensionis morsu sit vacua, & laudis questu opulentissima; verbo Valerii Max. lib. 4. cap. 1. sub initiũ.

VI. Eas jam consequens est, ut ulteriore mentis indagine, prævio Jehovâ, comitante Philosopho ad obrussam mediocritatis & rectæ rationis vestigemus.

---

SECTIO



## S E C T I O I.

1. Ab explicatione nominis rectè fieri dissertationis initium, non abs re olim sapientiæ duumviri, *diuinus* Plato in *Cratylo*, & literariæ laudis aquila, (*quem sic honorat Scaliger Exerc. 194. sect. 4.*) δαίμονι⊕ Aristoteles in 1. cap. lib. *ᾠδῆς ἑρμηνείας*, § 8. *Topic.* 2. decrevere: τῷ το γδ δήλωμα, μίμημα καὶ σύμβολον τῶν πραγμάτων⊕: seu, ut Plato *d. l. Edition. Lugdun. pag. 259. E.* διδασκαλικόν ἢ δῖον ὄργανον καὶ ἀσκητικόν τῆς σοφίας.

2. Quorum nunc nos, & meritò, vestigiis insistentes, ab investigatione *Originis*, & discussione *Ambiguitatis*, quæ ut plurimum (*quod ait subtilitatū magister Exerc. 148. sect. 4.*) errori affinis est, filum ducere incipiemus.

3. ΜΕΓΑΛΟΨΥΧΙΑ (*aliàs μεγαλοΦροσύνη, ut annotat Camerar. ad 3. cap. 4. Ethic. pag. 171.*) Græcis ἀπὸ τῆς μεγέθους τῆς Ψυχῆς καὶ δυνάμεως; 3. *Eudem. 5.* Latinis eodem sensu & origine *MAGNANIMITAS*: Ciceroni in 1. *Offic.* animi invicti atque excelsi *Magnitudo*, & *Altitudo*: Plinio *N. H. lib. 7. cap. 25.* invicti animi *Sublimitas* dicta, accipitur *bifariam*; prout significat vel *Genus*, vel *Speciem*. Goclen. *Exerc. Ethic. 21. thes. 42.*

4. In *Genere* *Magnanimitas* est decus & ornamentum, seu, ut Cicero loquitur 1. *Offic.* splendor virtutum omnium: non, quali reliquæ quoad substantiam suam non sint perfectæ: sed quòd ad hanc concurrant, ut magnificentur, & ornamenta ab ea suscipiant, quoad accidentia: non secus, ac si quis pulchro corpori vestimenta præclara induerit, unde illius corporis pulcritudo major & splendidior reddatur: *quemadmodum explicat Felix Accorambonus in Annotat. Ethic. pag. 286.*

5. Et hinc est, quòd eam Keckerman. *Curs. Philosoph. disput. 24. probl. 7.* virtutum omnium summum apicem, &

splendidissimam coronam indigitat: *Pontanus* corollæ ex optimis quibusque flosculis virtutum contextæ comparat: *Philosophus* verò per virtutes omnes deducit, quaque se generatione in singulis ostendit 4. *Ethic. Nic. 3.*

6. In specie verò Magnanimitas usurpatur vel *Proprie*, vel *Improprie*: *Keckerm. System. Ethic. lib. 2. cap. 3.*

7. *Improprie* rursus dupliciter: Vel enim I. pro firmitate animi, & magna tolerantia, qua quis, ut ait *Pindarus*, πάντα κοσμίως φέσει, omnia, etiam adversissima, decenter & concinnè fert ac tolerat. Quo sensu cum *Fortitudine* coincidit, cumque ea à Latinis Scriptoribus, *Tertulliano* in *fine Apologetici cap. 50.* *Cicerone* 1. *Offic.* *Seneca* lib. de *virtut.* *Virgilio* passim; *Cælio Rhodigino* L. A. lib. 18. cap. 2. & aliis confunditur; ita, ut etiam brutis tribuatur ab *Ovidio*, quando is 3. *Trist. Eleg. 5.*

*Corpora magnanimo (canit) satis est prostrasse leoni:*

*Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.*

Et à *Stoicis* definitur ἡ δὲ ἀρετὴ ἢ ἔξις ὑπεράνω ποίησαι τῶν συμβαινόντων, κοινῇ φάουλων τε καὶ σπαραδαίων; apud *Camerar. d. pag. 171.* à *Platone* verò μεγαλοπρέπεια ψυχῆς μετὰ λόγῳ: in *definit. pag. 748. G.*

8. Vel II. pro insigni *Liberalitate*, & excellenti *Beneficentia*: quemadmodum usurpat *Cicero*; In quibus (*inquiens* 1. *Offic.*) major est animus, in his pecuniæ cupiditas spectat ad opes, & ad gratificandi facultatem.

9. *Proprie* tamen & πρώτως μεγαλοψυχία, Magnitudo animi est virtus, moderans appetitum, in magnis, iisdemque meritis nostris debitis, honoribus, rectè vel expetendis & acceptandis, vel legitime contemnendis & fugiendis; μεσότης πρὸς τιμὰς μεγάλας: sicut definit *Aristoteles* 2. *Ethic. Nicom. 7. & 4. cor. 3. 1. M. M. 26. & 3. Eudem. 5.*

10. A qua *Magnanimus* appellatur, qui, cum magnis sit di-

fit dignus, magnis etiam se dignum iudicat: ὁ μεγάλων αὐ-  
τὸν ἀξίων, ἀξιοῦν. 1. *Ethic. Nic. 3. § 3. Eudem. 5.* Perinde  
ut *Socrates*, qui, *annotante Cicerone lib. 1. de Oratore*, rogatus  
olim à iudicibus, quid meruisset? meruisse se responde-  
bat, ut amplissimis honoribus ac præmiis decoraretur, &  
victus ei quotidianus in Prytaneo publicè præberetur. Et  
laudatissimus rex *Salomon*, qui cum à regina Sabæ summo  
afficeretur honore, & congiariis planè regiis donaretur,  
summâ prudentiâ & moderatione utroq; se dignum præ-  
stabat: 2. *Reg. 10.* Quibus adde *Julium Cæsarem*, apud *Plin.*  
*N. H. lib. 7. cap. 25.* *Pompejum*, apud *Donaldson. Synops. lib.*  
*3. cap. 5. pag. 193.* *Themistoclem*, apud *Fulgos. lib. 8. cap. 15.* &  
*Valer. Max. dictor. ac factor. memorabil. lib. 8. cap. 14.* *Hero-*  
*dem Atticum* apud *Cælium Rhodig. L. A. lib. 21. cap. 19.* ali-  
osq; relatos à *Zwingero in Teatro Vitæ Hum. lib. 7. pag. 600.*

## SECTIO II.

1. Ea autem sic definita spectatur ulterius, primùm  
*in se*; inde *in opposito*.

2. *In se* consideranda venit trifariam: I. nempe ratio-  
ne *Objecti*: II. ratione *Actus*: & III. ratione *Proprieta-*  
*tum*. Ex divisione *Thomæ in 4. Ethic. lect. 8. fol. 65. col. 4.*  
& *Burlæi ibid. part. 1. tract. 2. cap. 1. fol. 71. O.*

3. *Objectum* Magnanimitatis duplex est: unum *Genera-*  
*le*, alterum *Speciale*. *Giphani in 4. Eth. 3. pag. 285. sub fin.*

4. *Generale* sunt τὰ μεγάλα, omne id, quod magnum  
videtur & præclarum in rebus atque actionibus humanis,  
ex quo magni & excelsi animi laus ac gloria oriri possit.  
Unde & magnanimus magnitudine quidem, quam habet  
in summo gradu perfectionis, extremus est; sed officio &  
rectâ ratione mediocris: quandoquidem medium in vir-  
tutibus non attenditur secundum quantitatem rei, sed se-

S 3

cundum

cundum rectam rationem. Arist. 4. Nic. 3. Thomas 2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>  
quaest. 129. art. 3. ad 1.<sup>m</sup> Acciajol. 4. Ethic. 3. pag. 301. n. 54.

5. Speciale verò vel *Primarium* est & *Proprium*: vel *Secundarium* & quasi *Improprium*. Goclen. Exercit. Ethic. 7. thes. 4.

6. *Primarium* & *proprium* est HONOR, (præmium nimirum virtutis, tributum à congruente iudice viro probo, ut ejus virtus refulgeat, & alii ad parem virtutem ipsius exemplo inflammentur: quam ex Philosopho nostro & præceptore ejus Platone definitionem nectit Piccolomin. Moral. Philosoph. grad. 8. cap. 24.) eiq; opposita IGNOMINIA: 1. M. M. 26. Qui etiam si relatus ad Modestiam sit materia communis utriusque: In specie tamen secundum propriam formam, per quam habitus distinguuntur, diversificatur & restringitur; ut ex magnis honoribus Magnanimitas; ex parvis Modestia confluat: quæ communis est interpretum sententia ad 3. & 4. capp. 4. Ethic. Aristot.

7. Honor a. ideò, quòd is omnium externorū bonorū maximum censeatur; utpote qui & I. Diis tribuatur, & qui eorum loco sunt. II. Deinde ab optimis quibusq;, & iis, quorum in dignitate constitutorum aliqua est autoritas, in primis expetuntur: Et III. insuper rei pulcherrimæ, virtutis, sit præmium: 8. Ethic. Nic. 14. memoriamq; hominis etiam post mortem ornet, cujus causâ cetera bona expetantur. Qua de re pluribus Aristoteles 1. Ethic. Nic. 5. & 4. eor. 3. Cicero de clar. Orator. & 10. Epistol. famil. epist. 10. Tiraquell. de Nobilit. cap. 4. n. 15. Pontanus de Magnanim. lib. 1. c. 2. & Flamin. Nobil. Tractat. de Honore.

8. Circa quem magnanimus se gerit, ut decet, vel amplectendum, vel contemnendum. Magir. 4. Ethic. 3. pag. 358. Donaldson. Synops. lib. 3. cap. 5. pag. 193.

9. Circa amplectendum quidem; I. ut honorem magnum  
à viris

à viris bonis & claris oblatum, licet eum virtutis suæ magnitudini non respondere sciat, *suscipiat*: ita tamen, ut honestum illud, quod maximè natura sequitur, in factis positum, non in gloria iudicet: (*arbitrio Ciceronis in 1. Offu.*) & honorem non tam boni operis mercedem, quàm comitem habeat, quo velut melle hic in terris temperet, quod in virtute est amarum: ut præclare Lipsius *Cent. 3. epist. 51. ad Ovandum.*

10. A viris autem bonis & gravibus provenire debet hic honor ideò, quoniam ea demum jucunda laus est, quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt: ut ait Cicero *lib. 15. epistolar. famil. epist. 6. ad Catonem*: & comprobatur Heetor ille *Navianus*, qui non tantum laudari se latatur, sed addit, etiam à laudato viro.

11. Ex quo II. consequitur, ut eodem non insolenter aut effusè gaudeat magnanimus, quippè, qui ipsi non eveniat novus aut alienus, sed jure debitus, & *οἰκείος*. Contingit enim (*inquit Thomas in 4. Ethic. lect. 9 fol. 67. col. 2. C.*) ut aliquis immoderatè delectetur de aliquibus adeptis, ex eo, quod insperatò hæc ipsi obveniunt, & admiretur ea, quasi quadam maxima, supra seipsum existentia: Sed cum magnanimus adipiscitur, existimat quasi quadam bona propriè sibi convenientia, & adhuc minora, quàm ei debeantur: cum nullus honor exterius ab hominibus exhibitus sit condignum præmium virtutis; excedente bono rationis, ex quo virtus laudatur, omnia bona exteriora. Adde Giphani in 4. Ethic. 3 pag. 289.

12. Circa contemnendum autem, ut honorem vel à malis & improbis, vel ab imperitis & obscuris oblatum respuat, & applausum popularem, qualis laus vituperium est & dedecus, contemnat ac nihili ducat *Μάλλον γδ ἂν φροντισεῖεν ἀνὴρ μεγαλόψυχος*, *inquit Philosophus 3. Eudem 5. ἢ δὲ καὶ ἐνὶ ἀσθενείᾳ, ἢ πολλοῖς τυγχάνουσιν*: Sicut apud Homer. *Iliad. 9. Achilles Phœ-*

les Phœnici conanti eum persuadere, ut munera & honores ab Agamemnone delatos acciperet, respondebat; honore se Agamemnonis inimici & ignavi hominis non egere, quòd Jovis voluntate honoratus sit satis:

Οὐκ ἔμετιτύτης (inquiens vers. 603.)

ἔπει τιμῆς: Θεοῦ δὲ τοῦ μῆδαι Διὸς αἴση.

Et Alexander M. oblatum sibi à Corinthiis jus civitatis ridebat: apud Senecam de Beneficiis lib. 1. cap. 13. Ac hætenus officium viri magnanimi circa honores.

13. Quantum verò ad Ignominiam, obtreccionem malevolorum negligit, & Sycophantarum calumnias floccipendit, utpote quas novit infamiae notam sibi non inurere, aut maculam adspargere posse; cum convitiis reprehensio illos non attingat, qui secundum virtutem vivunt: ut ait Cleobulus apud Maximum, repetitus à Lycosthene apophthegm. pag. 151.

14. Quocirca magnanimus more majoris feræ minorum latratus canum securus exaudit; non, quòd famam spernat: (Nam negligere, quid de se quisq; sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omninò dissoluti; de effato Ciceronis in 1. Offic. imò crudelis, ex mente Augustini; cum duæ res sint necessariae, Conscientia tibi, Fama proximo.) Sed, quòd eam suæ potestatis nō esse, adeoq; inter externa annumerare sciat: sicut Callicles ille Plautinus Trinummi, Act. 1. Sc. 2. ad Megaronidem accusantem:

Est, atq; non est (inquit) mihi in manu; Megaronides:

Quin dicant, non est: meritò ut ne dicant, id est.

15. Hinc David exul Hierosolymâ veniens de Simei ipsi maledicente, & lapidibus petente, nixus conscientiam virtutis & bonitate causæ, poenas sumere, aut calumniis ejus succumbere volebat: 2. Sam. 16. v. 5, 6. & seqq. Et Aristippus contumelia à quodam affectus secedebat: Maledi-

co au-

eo autem persequenti, & fugis dicenti, etiam, inquit, *Nam tu maledicendi potestatem habes, ego vero non audiendi.* apud Anton. & Maxim. *serm. de Vituper.*

Et tantum etiam de Objecto Magnanimitatis principali ac proprio.

16. *Secundarium & quodammodo Improprum* sunt ea bona externa, quæ quidem non sunt maxima; ad honoris tamen & dignitatis (*verbo Camerarii*) quasi speciem & æstimationem, actionesq; magnanimitatis promptius obundas momenti non nihil afferre censentur: cuiusmodi sunt divitiæ, potentia, magistratus, & omnes res aliæ prosperæ vel adversæ, *πᾶσα εὐτυχία καὶ ἀτυχία: 4. Ethic. Nic. 3.* & in libello de Virtutibus.

17. In quibus ita se magnanimus moderatè habebit, ut nec fortunâ juvante tollatur, nec tonante mergatur: sed meminerit semper, quod monet Horatius *lib. 2. Carm. Oda 3.*  
*æquam rebus in arduis*

*Servare mentem: non secus in bonis*

*Ab insolenti temperatam*

*Latitia:*

exemplo sapientiæ illius & constantiæ non solum hominum consensu, verum etiam Apollinis oraculo, t. Valerio Max. *lib. 3. cap. 4. exemplaris, Socratis, qui (asservante in archivis natura Plinio lib. 7. cap. 19.)* simili semper vultu videbatur, nec aut hilari magis, aut turbato. Quod idem de Numidico Metello exule & restituto, refert Valer. Max. *lib. 4. cap. 1. n. 13.* Is enim verè vir est, cuius animum prospera fortuna flatu suo non effert, nec adversa infringit: quem admodum graviter ait L. Æmilius Paulus apud Livium *lib. 5. decad. 5.*

18. Ex quibus omnibus, de objecto tam principali & proprio, quàm secundario & quasi improprio dictis, *Actus*  
T  
quoq;

quoque & officium viri magnanimi obscura esse amplius non possunt. Pergemus ergò, quod tertium est absolutæ tractationis membrum, ad proprietates & notas.

### SECTIO III.

1. *Proprietas Magnanimitatis duplex est: Una relata ad materias virtutum aliarum: Altera ad materiam propriam.* Thomas in 4. *Ethic.*, lect. 10. fol. 68. col. 2. A.

2. *Proprietas comparata ad virtutes alias, Prima sumitur ex parte Fortitudinis; circa quam 1. magnanimus non est μικροίνδω, hoc est, non offert sese ad casus parvorum periculorum: quoniam in singulis virtutibus id habet, quod magnum est & excellens: neq; 2. φιλοίνδω, periculi adeundi cupidus; quoniam id hominis est temerarii & projecti: sed 3. μεγαλοίνδω, hoc est, magnis sese obijciens periculis; in quibus 4. honestis & necessariis ne vitæ parcat; cum potius gloriosè sibi moriendum, ob majus bonum, quàm turpiter ea declinando vivendum esse putet.*

3. *Secunda ex parte Liberalitatis: (Temperantiam enim de industria prætermittit Philosophus, utpote circa quam, annotante Acciajolo pag. 308. n. 78, parum videatur operari: aut quæ, monente Thoma d. l. non habeat de se magnitudinem, sed sit eorum, quæ nobis cum brutis communia,) ubi 1. magnanimus promptus est in conferendo beneficio: 2. tardus & verecundus in accipiendo: quoniã illud superioris & perfectioris sit: hoc autem inferioris & minus perfecti: 3. in remunerando largus: 4. in recordando memor magis suorum, quæ ipse contulit in alios, beneficiorum, non ita acceptorum: 5. in predicando & commemorando auditor lubentior suorum, quæ ipse præstitit, quàm aliorum, quæ suscepit: 6. in petendo deniq; nemini molestus, ipse cunctis prodesse cupiens.*

4. *Tertia*



4. *Tertia ex parte Magnificentia*: ratione cujus possessiones & opes, non ut alii, sordidi & avari, lucro & quaestu, sed potius honestate & splendore virtutis aestimare solet: quoniam, ut ait Aristoteles 3. *Eudem.* 5. αὐτῶν δὲ καὶ ἡ καλὸν, τὸ ὡς τὴν ἀξίαν πυχάμεν.

5. *Quarta ex parte Mansuetudinis*: circa quam, quia contemnit calumnias & injurias, ita se moderatè gerit magnanimus, ut ne memor sit malorum & injuriarum, ab aliis illatarum, nedum vindictæ cupidus: quandoquidem, nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atq; clementia: verbo Ciceronis 1. *Offic.* Nec quidquam magnum est, nisi quod simul & placidum: ut sentit Seneca lib. 1. *de Ira*.

6. *Quinta ex parte Humanitatis*: per quam magnanimus in familiaribus hominum congressibus, & convictu quotidiano ita se convenienter habere novit; ut, cum tres sint ordines, quos hic recenset Philosophus, & plenius in 4. *Polit. cap. 11.* Οἱ μὲν ἑυποροὶ σφόδρα; οἱ δὲ ἀποροὶ σφόδρα; οἱ δὲ μέσοι: alii quidem magni & clari; alii humiles & abjecti; tertii verò intermedii: inter claros quoque se clarum & magnum propter virtutem ostendet; erga cæteros verò mediocrè præbeat, ne eos præ se contemnere videatur: cum æquè stultum sit inter plebejos gloriari, quàm adversus infirmos & debiles sui corporis robur experiri. 4. *Ethic. Nic. 3.*

7. *Sexta ex parte Prudentia*: cujus respectu magnanimus 1. nil temerè aut inconsideratè aggreditur; sed omnia prius instar cochleæ quasi prætentata cornibus, & expensis diligenter atq; examinatis (exemplo *Fabii Max.* apud Plutarch. *in ejus vita* & Ciceron. 1. *Offic.*) circumstantiis, ne festinatione nimia rem perdat, vel cæcos, quod est in proverbio, cum cane festinante pariat catulos: Nec 2. quæ-

vis negotia suscipit, quod πολυπραγμοσύνης; sed pauca, & ea quidem illustria, in quibus virtutis suæ magnitudinem exserere possit. Est enim levitatis indicium, pati sibi imponi quævis negotia: Stultitiæ verò signum est majora suscipere, quàm ferre possint vires: ex παραινήσει Isocratis ad Nicoclem.

8. *Septimò* ratione *Veritatis* magnanimus, cùm velit esse magis, quàm videri bonus, 1. nil fictè aut simulatè, sed omnia candidè & apertè dicit ac facit: non pendens 2. ab ore insipientis vulgi, quo nihil est, *Ciceronis* iudicio, turpius, & viro magno indignus. *Magnus enim honor non honorantium multitudine, aut qualitate, aut pretio æstimatur, sed veritate.* 3. *Eudem.* 5. Quamobrem 3. semper est ἀληθευτικός καὶ παρρησιαστικός, verax & liber, non εἰς ὄντων aut κολακτυλικός, nisi interdum apud imperitam multitudinem, cui non tutum satis aut consultum æstimat, omnia sua consilia & facta aperire.

9. *Octavò* circa *amicitias* & *inimicitias* est Φανερόφιλος & Φανερόμισος, hoc est, apertè amat, & apertas gerit inimicitias; non aliud pectore clausum, aliud ore promptum habens, sicut de polypis ait *Salustius*: Neq; propterea aliorum metuit offensiones aut iras, cùm justas sciat amoris vel odii sui causas: & sat habeat favorum semper, qui rectè facit: ut verè *Mercurius* apud *Plautum* in *prologo Amphitruonis*.

10. *Nonò* deniq; respectu *Gravitatis*, magnanimus, cùm habitus mentis in statu corporis cognoscatur, 1. *Incessu* utitur *tardo* & *lento*, non veloci aut properato: quòd nimirum ingressus celerior aut levitatem arguat; aut negotiorum multitudinem significet: quæ ambo à magnifico aliena esse constat. 2. *Voce gravi* & *submissa*, non nimis acuta aut incitata; qualis esse solet eorum, qui clamando cupi-

unt

unt petita obtinere: 3. *Oratione stabili & constanti, non varia & inæquabili, nunc celeri magis, nunc tarda; ad indicandam animi sui tranquillitatem & constantiam: Sicut olim de Milone Cicero vultum semper eundem, orationem stabilem & non mutatam: de Pompejo in voce splendorem, & in motu summam dignitatem prædicabat. Atque hæcenus proprietas magnanimitatis desumpta ex objectis virtutum aliarum.*

11. *Quantum verò ad Materiam propriam, notæ ejus ex superius dictis magnanimi officiiis sect. 2. clarent: quibus adhuc aliam addit Philosophus 4. Nic. 3. quòd scilicet ad loca honorata, vel ubi alii primas obtinent, non facile accedat: non, quòd invidet superiorem locum, aut honoris communicationem aliis, vel dignioribus, vel æqualibus; aut extinguere famæ suæ Solem censeat, si alibi terrarum lumen incipiat spargere nova stella: sed quòd honorem ultrò appetere nolit, quem delatum malit accipere: sicut post Acciajolum pag. 306. n. 69. & Giphian. pag. 295. explicat moralis doctrinæ Professor noster clariss. Dn. M. Christophorus Neander in Annotat. postremis ad cap. 3. 4. Ethicor.*

12. *Ex quibus omnibus ordine collectis & excussis tria pulcherrima sequuntur corollaria:*

I. *Magnitudinem animi re verà esse κόσμον & splendorem virtutum omnium.*

II. *Hanc unam virtutum omnium adeptu esse difficilissimam, & repertu rarissimam: Cùm*

III. *Nemo magnanimus esse possit, nisi qui sit καλὸς κ' ἀγαθός, hoc est, omnium virtutum cumulo perfectè præditus & excellens.*

4. *Ethic. Nic. 3. & 3. Eudem. 5.*

13. *Verùm enim verò sunt hîc, quibus in mentem veniat, quod & verbis manifestè profitentur, Aristotelem in describenda magnanimitate à simplicitate fidei aberrasse,*

minimèq; eam componere in hominem Christianum & fidelem; imò directè cum humilitate Christiana pugnare, quæ virum bonum non elatum, aut suæ præstantiæ sensu inflatum esse, sed submissè de se & abjectè sentire jubeat: *Matth. 5. v. 3. Luc. 17. 11. Rom. 12. 3. Prov. 11. 2. & 16. 19. Eccles. 7. v. 19.*

14. Ego verò magnanimitatem homine Christiano & pio nequaquam indignam esse judico, aut ab eo alienam; cum nusquam in Scripturis præceptum videam, ita quem esse animo demisso oportere, ut quas à DEO acceperit doctes, eas vel contemptim habere, aut etiam minuere, vel detrahere sibi debeat: quin ita potius animum induco meum, respondere ei gloriam seu testimoniū bonæ conscientiæ, quam καύχησιν vocat Apostolus *2. Cor. 1. v. 12. & 12. v. 5, 6.* quæ est operis nostri non tantum agnitio, sed cum oportet, & ut oportet, atque ad quem finem oportet, ingenua prædicatio & commemoratio apud alios: ut docet Danaeus *Ethic. Christ. lib. 3. cap. 2.* Superbia modò absit & arrogantia, ad quam proclivis ab hac virtute lapsus, & agnoscat autor, à quo hæc magnitudo animi, ejusque causæ proficiscuntur: quod piè monet Giphani. *4. Ethic. 3. pag. 282.* Et potest aliquis politicè esse magnanimus, officioq; suo satisfacere, qui tamen spiritualiter sit, ut decet, pusillanimis & humilis, seque secundum ὁμιλίαν S. Petri *1. epistol. 5. v. 6.* ad pedes DEI dejiciat, agnoscens & deplorans indignitatem suam: ut ait Keckerman. *System. Ethic. lib. 2. cap. 3.* Cui adde Thomam in *2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup> quest. 129. art. 3. Piccolom. Grad. 8. cap. 31.*

15. Atq; hæc magnanimus & Magnanimitas in se considerata: ἰδὲν ἴδ' Ἀγαθῆς, τὴν ἕξιν, ἢ τὸν κατὰ τὴν ἕξιν σκοπεῖν: *4. Nicom. 3. & 3. Eudem. 5.* cum ea sit cognatorum natura, ut, quod de uno dicitur, de altero quoque dici possit. *Zwinger. in Annotat. 4. Ethic. pag. 174.*

SECTIO

## S E C T I O I V.

1. *Oppositum* contra vel in magni honoris spatio deficit: Græcis *μειροψυχία* & *μειροπρέπεια*: Latinis *Pusillanimitas*: Ciceroni, *Animus pusillus* & *angustus*: Lipsio *Abjectio*, & *animi marcentis torpor*: lib. 1. de *Constant. cap. 4.* per quem etiam, iis honoribus indignos nos judicamus, qui tamen jure nostræ virtuti debentur: aut quum ad eos eveci sumus, non possumus in illis decus & autoritatem officii tueri: quem *Lamb. Danaus* definit timorem honoris egregii vel adipiscendi; vel adepti administrationem segnem, quæ *Mollitios animi* nuncupetur: *Ethic. Christ. lib. 3. cap. 2.*

2. Et hoc vitium magis cum medio pugnat quàm illud quod est in excessu: eiq; obnoxius multifariam delinquit. Nam I. & in DEUM est ingratus, dum non agnoscit ea bona, quæ ab ipso accepit: adeoq; se ipsum ignorat, contra DEUM illud, & coelitus demissum *γνώθι σεαυτὸν*, quod non solum dictum est ad minuendâ arrogantiam, verum etiam, ut bona nostra agnoscamus: quæ verba Ciceronis ad *Quintum Fratrem lib. 3. epist. 6.* Et II. in seipsum ac virtutem injustus; dum quos suo merito indipisci posset, præmiis virtutum honoribus se spoliatur ac privat: Ex quo insuper III. intestini alicujus mali, & occulti sceleris suspicionem apud alios de semetipso concitat; quoniam (monente Ovidio 5. *Fastor.*)

*Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra*

*Pectora pro facto spemq; metumq; suo.*

Et denique IV. dum verbo Horatii 2. *Sermon. Sat. 3.*

*Invidiam placare parat virtute relicta,*

*segnis redditur & inutilis ad res præclare gerendas, quas aliâs gloria maxime urgere solet. Aristot. 4. Ethic. Nic. 3. Talis notatur à Suetonio Domitianus; repetitus à Donaldson. Synops. lib. 3. cap. 5. pag. 197.*

3. Vel ultra metam tendit: Græcis *χαυνότης*, item *κενοδοξία* &

*Ἐλα & ὑπερηφανεία*: Latinis *Inflatio, Vanitas, Elatio animi, Fastus & Superbia*: Gregorio M. in *Moralib.* & Cælio Rhodig. *Lect. Antiq. lib. 11. cap. 16.* Plinio item *N. H. lib. 7. cap. 7. Tumor & Tumiditas*; per quam quis majori se dignitate & honore dignum reputat, quàm re verà existat. Et hanc intolerabilem honoris alicujus eximii, vel adepti, vel adipiscendi jactationem & boatum definit *Danaus d. l.* per quem, qui in ea dignitate est, seipsum immodicè & importunè ostentat: vel etiam adeptum munus egregium ad aliorum injuriam & contumeliam, nimia superbia & effreni licentia exercet. Quo vitio nullum aliud est vel DEO magis invisum, vel hominibus nocentius: Quo qui laborat, aut miserum appetit finem, aut ærumnosam sui relinquit memoriam: *verbo Senecæ lib. de 4. Virtutibus.*

4. Nam 1. *Inflatus*, seu, ut Thomas vocat 4. *Et b lect. 11.* præsumptuosus injustus est cum primis *in seipsum*, tum verò *in alios.*

5. *In se quidem*; dum justo & merito plura deberi sibi putat: quemadmodum olim *Nabuchodonosor* deletis omnibus victarum gentium Deastris divinos sibi honores poscere ausus fuit, *Judicb. 3. v. 3.* eumq; imitatus *Alexander* fastidio Philippi Jovem Hammonem patrem sibi adscivit: ædio morum & cultus Macedonici vestem & instituta Perca assumpsit: spreto mortali habitu divinum amplectus est: *annotantibus Justino Histor. lib. XI. Valerio Max. lib. 9. cap. 5. & Agellio N. A. lib. 13 cap. 4. Cajus item Julius Caesar,* qui non honores modò nimios recepit, continuum putatum consulatum, perpetuam dictaturam, prænomen Imperatoris, cognomen patris patriæ, statuatam inter Reges, suggestum in orchestra: sed insuper (*referente Suetonio*) ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est. Quibus adde alios ex *Theatro Zwingeri lib. 7. pag. 615. & seqq.*

6. 12

6. *In alios autem*; dum ceteros præ se cōtemnit & longè inferiores existimat. Thomas 2<sup>o</sup> 2<sup>a</sup> quest. 162. art. 4.

7. 11. Deinde & stultus est, & ipse suæ stultitiæ præco; dum falsa virtutis persuasione ductus majora viribus adgreditur, & instar personati *παρρησια* magnanimi, in incessu, statu, sessione, cultu corporis, & gestu, relictis *ἑργοῖς* imitatur, majoribus quasi theatris vanitatem suam & iudicii inopiam cunctis spectandam proponens, irridendam propinans: Qualis describitur *Herodes Agrippa in Actis Apostolorum cap. 12. v. 21.* Atq; hæc de natura Magnanimitatis, ejusdemq; oppositis dicta sufficiant.

## SECTIO V.

1. Porrò, quam comparationem habet cum Magnificèntia Liberalitas, eandem habet cum animi magnitudine virtus quædam altera, quæ Græcis ferè *ἀνώου* est; Interdum tamen *Φιλοδοκία* (voce extremi in bonam partem accepta) quæ *Gregorio Nazianzeno* moderata honoris cupiditas; *in Carmin. Cygn. loco de simplic. rerum definit. pag. 1056. D.* Interdum *Σωφροσύνη* dicitur: Latinis *moderatum bonoris studium*: *Campofulgo* *libr. 1. cap. 4.* & *Valerio Max. lib. 4. cap. 1. Moderatio animi*: (quanquam & hic, ut ejus exempla testantur, ad Mansuetudinem referat:) *Strigelio Ambientia*: *Camerario Tranquillitas*: Vulgo sive à modico juxta *Varronem*: sive à modo, juxta *Tertullianum in exhortat. ad Castitat. cap. 9. pag. 567.* & *Ciceronem in 1. Offic.* MODESTIA nuncupatur.

2. Ejus autem significatio nunc patet latius, nunc coarctatur angustius.

3. Et latius quidem I. Modestia moderatum omnium virtutum usum designat, quem *Cicero lib. 3. ad Herem.* continentem in animo moderationem cupiditatum definit.

4. II. Affectionem animi denotat modicè de se, & ut oportet,

portet, sentientis: Quo sensu *Menander* σωφροσύνην ταπεινὴν  
δέεσθαι: *Lipsius* Modestiam virtutum omnium fulcrum, &  
veram ad excellentiam viam, *epist.* 69. *Cent.* 2. ad *Belgas* co-  
gnominat: & *Stattius* *lib.* 3. *Syl.* ad *Claud.* uxor.

*Ingenium* (canit) *pietas*; *artemq;* *Modestia* vincit.

5. III. *Verecundiam* infert & *puorem honestum*, in ver-  
bis & sententiis, motuq; ac gestu corporis, qui claram ac  
stabilem comparat auctoritatem: Quo de *Cicero* in 2. *Offic.*  
*Prima*, inquit, *commendatio* proficiscitur à *modestia*, tùm *pieta-*  
*te* in *parentes*, tùm in *suos* *benevolentia*. Et paulò post: *Si in-*  
*est* in *oratione* *mixta* *modestiae* *gravitas*, nil *admirabilius* *fieri* *po-*  
*test*, *eoq;* *magis*, *si* *ea* *sunt* in *adolescente*. Eundemq; in modum  
*Quintilian.* *Institut.* *Orat.* *lib.* 12. *cap.* 9. *Super omnia*, (ait)  
*perit* *illa*, *quae* *plurimum* *Oratori* *et* *authoritatis*, *et* *fidei* *affert*  
*Modestia*, *si* à *viro* *bono* in *rabulam* *latratoremq;* *convertitur*,  
*compositus* *non* *ad* *animum* *judicis*, *sed* *ad* *stomachum* *litigatoris*.

6. IV. *Εὐταξία* significat *Stoicis*, & *ordinem* *earum* *re-*  
*rum*, *quae* *totà* *vita* *aguntur* *aut* *dicuntur*, *loco* *suo* *collocandarū*:  
apud *Ciceronem* 1. *Officior.* adeoq; *moderationem* *omnē*,  
in *rebus* *lætis* *præsertim* & *secundis*. *Keckerm.* *Syst.* *Ethic.*  
*lib.* 2. *cap.* 3.

7. *Strictius* *verò* & *ιδίως* *virtutem* *repræsentat*, *quã* *me-*  
*diocres* *honores* *nobis* *debitos* *unde*, *quomodo*, *quando*, *et* *quan-*  
*tum* *oportet*, *expetimus* *et* *conservamus*. *Aristot.* 4. *Nic.* 4. *Go-*  
*clen.* *Exercit.* *Eth.* 7. *thes.* 15. A *qua* *modesti*, *seu* *tranquilli* &  
*sedati* *appellantur*, *qui* *neq;* *cupidè* *expetunt* *honores*, *ne-*  
*que* *oblato* *acerbè* *repudiant*: hoc est, *qui* *remoti* à *stu-*  
*diis* *ambitionis* *otium* & *tranquillitatem* *sequuntur*: *anno-*  
*tante* *Camerario* in 4. *Ethic.* 4. *pag.* 174.

8. *Quales* in *Scriptura* *laudantur* *Maria* *mater* *Domi-*  
*ni*, *Luc.* 1. *v.* 38. *et* 48. & *Doctor* *gentium*, *Act.* 26. *v.* 25, *qui*  
*falsò* *incusatus* *infanix*, *honorem* *suum* *modestissimè* *de-*  
*fendit*: In *Historia* *Trajanus* *Imperator* à *Plutarcho*: *Septem*  
*Gracia*



*Gracia Sapientes* à Diogene Laërtio in *Vitis*, & Valerio Max. lib. 4. cap. 1. P. Valerius Publicola ab eodem, *ibidem*, & Cælio Rhodigin. L. A. lib. 12. c. 7. Agathocles Sicilia Rex ab Aufonio & Cælio lib. 24. cap. 4. passimq; ab aliis alii.

9. Affinis huic virtuti est *animi submissio seu demissio*, quã *ταπεινωφροσύνη* Apostolus Philipp. 2. v. 3. Ephes. 4. v. 2. Coloss. 3. v. 12. *Ατωφία* Plutarchus in *Numa & Catone Uticensi*: *Vulgus Humilitatem* usurpant, qua homo, (ut loquitur Bernhardus de *Gradib. Humilit. pag. 1105. B.*) verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit: seu, (ut Danæus *Ethic. Christ. lib. 3. cap. 2.*) quæ animum nostrum ex serio cùm privata inopiã, tùm totius humanæ imbecillitatis sensu dejicit, ut nihil magnum ipse appetat, sed etiam in delato honore suam incapacitatem apud se agnoscat, ingenuèq; fateatur ac deploret. Quam miris elatam laudibus vide passim apud Bernhard. præsertim in *lib. 2. de Consideratione ad Eugenium Papam*. Augustin. *de Civit. Dei lib. 16. cap. 4.* Gregor. M. *Moral. lib. 13. cap. 7.* & Patres alios.

10. Eam a. duplicem facit Bernhardus: Unam *Cognitionis*; alteram *Affectiois*, quæ *Matth. 11. v. 29.* cordis dicatur. *Priore* cognoscimus, quòd nihil sumus: Et hanc discimus à nobis, & propria infirmitate: *Posteriore* calcamus gloriam mundi: Et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens: (*Philip. 2. v. 7.*) qui etiam quæsitus in regnum fugit: (*Johan. 6. v. 15.*) quæsitus ad tanta probra, & ignominiosum supplicium crucis sponte obtulit semetipsum. *serm. 4. de Adventu Domini pag. 9. C.* Cui adde *eiusdem epistolam 42. pag. 800. A.*

11. Unde triplex *Humilitatis causa impellens* concludi videtur: I. *Subjectio* nimirum, quã honoris prosperitatisq; naturam considerantes, omne id, quodcunq; est, à DEO esse statuimus: II. *Notitia sui*, quã quis propria fragilitatis memor omnia peritura existimat, nisi virtute stabilita:

& III. *Consideratio rei absentis*, quâ longè præstantiora nobis deesse, quàm adepti sumus, cogitamus.

12. Cæterùm *Extrema Modestix* duo sunt: Unū quod *citra subsistit*; h. e. in defectu aberrat: Græcis Ἀφιλομία; Ciceroni *in partit. Despicientia*: Turnebo *Inambitio*, apud Giphān. *in Appendice 2. Ethic. pag. 145.* vulgò, *Honoris contemptus*, qui ortus ex ἀναίδουσιā boni & gratiæ nobis collatæ, in modicis honoribus etiam debitis appetendis modum relinquit, 4. *Nic. 4.* Qualem in *Cynicis* notat Laërtius *lib. 6. vitar.* quòd divitias, gloriam & nobilitatem contemserint: inter quos nominatim *Diogenes*, cùm aliquando *Alexander* ei adstaret, ac diceret: *Ego sum Alexander, magnus ille Rex;* responderit, *Ego verò Diogenes, canis.*

13. Alteram, quod *ultra procedit*; Græcis φιλομία, Latinis *Ambitio & impotens gloriæ studium*, seu *Honoris contentio*; qui est immodicus honoris, potentiæ vel dignitatis appetitus, etiam unde, quomodo & quo fine nō oportet. Quod vitium meritò *Bernhardus serm. 2. de S. Andrea pag. 267. initium omnis peccati, & causam totius perditionis*: *Timon* verò *Misanthropus* unā cum avaritia apud *Stobæum* elementum malorum omnium pronunciant. Et rectè: *Nam plerq; eorum, quæ homines injustè faciunt, per ambitionem & avaritiam committuntur. 2. Polit. 9.*

14. Exemplum præbent primi nostri parentes, qui *Genes. 3.* dum ambitionis igne accensi, contra DEI præceptū cupiunt esse ἰσοῦτοι, facti sunt μισοῦτοι, & semetipsos cum omnibus suis posteris infinitis malis oneravere. Quibus adde alios enumeratos à *Zvvingero Theatr. lib. 7 fol. 615.*

15. Atq; hæc ita se habent ad Modestiam, ut interdum etiam in bonam partem accipiantur: & φιλομία quidem laudetur, ut φιλόκαλος, hoc est, virtutis ac decoris studiosus: ἀφιλομία autem, ut homo frugi & moderatus: de quibus *Arist. 4. Eth. 4. & Magis. ibid. pag. 373. Golius Epit. lib. 4. cap. 4.*

*Ja 666*

ULB Halle 3  
002 177 021



*5b-700*

*Von 7*

*MC*





